

## PRUDENCE

## APOTHEOSIS (1152 vers)

## HYMNUS DE TRINITATE

A1 v.1 Est tria summa Deus, trinum specimen, vigor unus ;  
 2 corde Patris genita est Sapientia, Filius ipse est ;  
 3 Sanctus ab aeterno subsistit Spiritus ore ;  
 4 tempore nec senior Pater est, nec numine major ;  
 5 nam sapiens retro semper Deus edidit ex se,  
 6 per quod semper erat gignenda ad saecula, Verbum ;  
 7 edere sed Verbum Patris est, at cetera Verbi :  
 8 adsumptum gestare hominem, reparare peremptum,  
 9 conciliare Patri dextraque in sede locare.  
 10 Spiritus ista Dei complet, Deus ipse : fideles  
 11 in populos charisma suum diffundere promptus,  
 12 et Patri et Christi virtutem in corpora transfert.

## PRAEFATIO

A2 v.1 Est vera secta ? Te, magister, consulo.  
 2 Rectamne servamus fidem,  
 3 an viperina non cavemus dogmata  
 4 et nescientes labimur ?  
 5 Artam salutis vix viam discernere est  
 6 inter reflexas semitas,  
 7 tam multa surgunt perfidorum compita  
 8 tortis polita erroribus ;  
 9 obliqua sese conserunt divortia  
 10 hinc inde textis orbitis ;  
 11 quas si quis errans ac vagus sectabitur  
 12 rectum relinquens tramitem,  
 13 scrobis latentis pronus in foveam ruet,  
 14 quam fodit hostilis manus,  
 15 manus latronum, quae viantes obsidet  
 16 iter sequentes devium.  
 17 Quid non libido mentis humanae struat,  
 18 quid non malorum pruriat ?  
 19 Statum lacesunt omnipollentis Dei  
 20 calumniosis litibus ;  
 21 fidem minutis dissecant ambagibus,  
 22 ut quisque lingua est nequior.  
 23 Solvunt ligantque quaestionum vincula  
 24 per syllogismos plectiles.  
 25 Vae captiosis sycophantarum strophis,  
 26 vae versipelli astutiae !  
 27 Nodos tenaces recta rumpit regula  
 28 infesta dissertantibus.  
 29 Idcirco mundi stulta delegit Deus,  
 30 ut concidant sophistica,  
 31 deque imbecillis subjugavit fortia,

32 simplex ut esset credere.  
 33 Lapis, ecce, nostro fixus offensaculo est,  
 34 inpingat in quem vanitas,  
 35 signum caventi, non caventi scandalum ;  
 36 hunc sternit, illum dirigit.  
 37 Dum plura temptat caecus incerto gradu,  
 38 incurrit id, quod obvium est.  
 39 Fax sola fidei est praeferenda gressibus,  
 40 ut recta sint vestigia.  
 41 Quis in tenebris hostis errantes tamen  
 42 pulsat trahitque et proterit,  
 43 qui sparsa ad ipsum commeantum transitum  
 44 frumenta saevus devorat,  
 45 qui laeta Christi culta fur interpolat  
 46 addens avenas aemulas.  
 47 Quas de veneni lacte in herbam fertiles  
 48 patitur colonus crescere,  
 49 ne forte culmum fibra inanis spiceum  
 50 simul revulsa internecet.  
 51 Exspectat ergo, dum dolosa et farrea  
 52 fervens coquat maturitas,  
 53 det ventilabro lecta quaeque ut horreis,  
 54 urat recrementum focus.  
 55 Refert sed ipsa nosse, quae messem necant,  
 56 zizaniorum semina.

#### APOTHEOSIS

A3 v.1 Plurima sunt, sed pauca loquar, ne dira relatu  
 2 dogmata catholicam maculent male prodita linguam.  
 3 Ille Patrem pellens solio detrudit in artum  
 4 corporis humani gestamen, nec pavet ipsum  
 5 objectare neci duroque adfigere ligno.  
 6 Passibilisne Deus, cujus species et imago  
 7 nulli visa umquam ? Nec enim comprehendier illa  
 8 majestas facilis sensuve oculisve manuve.  
 9 Johannis magni celebris sententia praesto est,  
 10 haud umquam testata Deum potuisse videri.  
 11 Ille Pater, quem nulla acies violenta tuendo  
 12 minus ardentis penetravit acumine visus,  
 13 qui se forma hominis non induit, et deitatis  
 14 inmensum adsumpto non temperat ore modove  
 15 Aut evangelici pietas spernenda libelli  
 16 jam, blaspheme, tibi est, aut numquam visa beati  
 17 vis intacta Patris, non admiscenda caducis.  
 18 Sed tamen et Patris est specimen, quod cernere fas sit,  
 19 humanis aliquando oculis concurrere promptum,  
 20 quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco  
 21 umentique acie potuit nebulosus adire.  
 22 Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso  
 23 infusum vidit gnatum. Nam Filius hoc est  
 24 quod de Patre micans se praestitit inspiciendum  
 25 per species quas possit homo comprehendere visu.  
 26 Nam mera majestas est infinita, nec intrat  
 27 obtutus, aliquo ni se moderamine formet.  
 28 Hoc vidit princeps generosi seminis Abram,  
 29 jam tunc dignati terras invisere Christi

30 hospes homo, in triplicem numen radiasse figuram ;  
 31 hoc conluctantis tractarunt bracchia Jacob.  
 32 Ipse dator legis divinae accedere coram  
 33 jussus, amicitiae conlato qui stetit ore  
 34 comminus et sacris conjunxit verba loquellis,  
 35 carnis in effigie Christum se cernere sensit ;  
 36 sed majora petens animum per vota tetendit  
 37 inconcessa homini, plus quam mortale laborans  
 38 ipsum, quantus erat, sine corpore visere Christum ;  
 39 denique post multi sermonis mutua postque  
 40 conspectum praesentis eri et consortia longa :  
 41 "Quaeso", ait, "ut liceat te nunc, Deus optime, nosse."  
 42 Respondit Dominus : " Mea, non me, cernere justis  
 43 posteriora dabo. " Quid apertius absque aliena,  
 44 quam sumat, facie Verbum non posse videri,  
 45 posse tamen, cum malit, idem, numquam Patre viso,  
 46 terrenis oculis habitu se ostendere nostro,  
 47 saepe et in angelicas vel mortales moderatum  
 48 induci species, queat ut sub imagine cerni ?  
 49 Hoc Verbum est, quod vibratum Patris ore benigno  
 50 sumpsit virgineo fragilem de corpore formam.  
 51 Inde figura hominis nondum sub carne Moysi  
 52 objecta effigiem nostri signaverat oris,  
 53 quod quandoque Deus Verbi virtute coactum  
 54 sumpturus corpus faciem referebat eandem.  
 55 Sed tamen et sentam visa est excita cremare  
 56 flamma rubum : Deus in spinis volitabat acutis,  
 57 vulnificasque comas innoxius ignis agebat,  
 58 esset ut exemplo Deus inlapsurus in artus  
 59 spiniferos, sudibus quos texunt crimina densis  
 60 et peccata malis hirsuta doloribus implet.  
 61 Inculcto nam stirpe frutex vitiosus iniquis  
 62 luxuriam virgis inhonesto effundere suco  
 63 coeperat et nodos per acumina crebra ligabat.  
 64 Cernere erat steriles subito splendescere frondes  
 65 accensisque citum foliis magno impete late  
 66 conlucere Deum nec spinea laedere texta,  
 67 lambere sanguineos fructus et poma cruenta,  
 68 stringere mortiferi vitalia germina ligni,  
 69 quandoquidem tristes purgantur sanguine culpae,  
 70 quem contorta rubus densis cruciatibus edit.  
 71 Ergo nihil visum, nisi quod sub carne videndum,  
 72 lumen imago Dei, Verbum Deus et Deus ignis,  
 73 qui sentum nostri peccamen corporis implet.  
 74 Nam lucis genitor, Verbi sator, auctor et ignis,  
 75 creditur extra oculos, ut apostolus edocet auctor,  
 76 qui negat intuitu fontem deitatis adiri.  
 77 Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo :  
 78 visibilis de fonte Deus, non ipse Dei fons  
 79 visibilis ; cerni potis est qui nascitur, at non  
 80 innatus cerni potis est ; latet os Patris illud,  
 81 unde Deus, qui visibilem se praestitit olim,  
 82 tale aliquid formans in sese, quale secuta est  
 83 passio, quae corpus sibi vindicat ; ardua nam vis  
 84 est impassibilis, quoniam natura superni  
 85 ignis ad horrificas nescit descendere poenas,  
 86 nec capit humanis angoribus excruciarum,  
 87 pura, serena, micans, liquido praelibera motu,

88 subdita nec cuiquam, dominatrix utpote rerum,  
89 cui non principium de tempore, sed super omne  
90 tempus et ante diem majestas cum Patre summo,  
91 immo animus Patris et ratio, via consiliorum,  
92 quae, non facta manu nec voce creata jubentis,  
93 protulit imperium, patrio ructata profundo.  
94 Hanc igitur non flagra secant, non sputa salivis  
95 aspergunt, alapis non vexat palma relisis.  
96 nec perfossa cruci clavorum vulnera figunt.  
97 His adfecta caro est hominis, quam femina praegnans  
98 enixa est sub lege uteri, sine lege mariti.  
99 Ille famem patitur, fel potat et haurit acetum ;  
100 ille pavet mortis faciem, tremit ille dolorem.  
101 Dicite, sacrilegi doctores, qui Patre summo  
102 desertum jacuisse thronum contenditis illo  
103 tempore, quo fragiles Deus est inlapsus in artus,  
104 ergo Pater passus ? Quid non malus audeat error ?  
105 Ipse puellari conceptus sanguine crevit,  
106 ipse verecundae distendit virginis alvum ?  
107 Et jam falsiloqua est divini pagina libri,  
108 quae Verbum in carnis loquitur fluxisse figuram ?  
109 At non, qui Verbi pater est, caro factus habetur.  
110 Fige gradum, Scriptura, tuum ; nil mobile et anceps  
111 adfirmasse decet. Pater est, quem cernere nulli  
112 est licitum ; Pater est, qui numquam visus in orbe est,  
113 nec mundana inter radiavit lumina coram.  
114 Verbum conspicuum misit missumque recepit.  
115 Cum voluit, Verbo praestrinxit viscera purae  
116 virginis, et Verbo struxit puerilia membra.  
117 Ipse quidem in terris virtute et numine praesens  
118 semper adest quocumque loci, nec pars vacat ulla  
119 majestate Patris ; nusquam est genitor Deus absens ;  
120 per Verbum sed semper adest ; atque inde Philippo  
121 Christus ait : " Tanto tecum jam tempore versor,  
122 et Patrem te nosse negas, quem perspicias in me ! "  
123 Est invisibilis donum Patris edere Natum  
124 visibilem, per quem valeat Pater ipse videri,  
125 nec solis sanctorum oculis, sed lumine cassis  
126 caecorum ; caecos loquor, atra socordia quorum  
127 corde tenebroso verum perpendere nescit.  
128 Quem si perspicuum mortalibus infitiaris,  
129 fare, age, quem videat Babylonis ab arce tyrannus  
130 innocuas inter flammis procul exspatiantem,  
131 calcantem rapidos inadustis fratribus ignes.  
132 Nempe ait : " O proceres, tres vasta incendia anhelis  
133 acceperere viros fornacibus ; additus unus,  
134 ecce, vaporiferos ridens intersecat ignes.  
135 Filius ille Dei est ; fateorque et victus adoro.  
136 Inrisas removete faces taedasque tepentes  
137 subtrahite ; friget succensi sulfuris ardor ;  
138 Filius - haud dubium est - agit haec miracula rerum ;  
139 quem video, Deus ipse, Dei certissima proles,  
140 imperat immensis ardoribus et domat iras  
141 insultans, famulante rogo, piceosque furores  
142 conprimit, et rabiem flammaram algescere cogit.  
143 Barbaricos calida aura sinus non tangere jussa  
144 praeterit, et tenues stridens transcurrit amictus ;  
145 ipse per Assyrios metuit vapor ire tiaras,

146 ne coma fusa umeris fumo obsordescat amaro. "  
147 Haec ait et varios jubet obmutescere cantus,  
148 organa, sambucas, citharas calamosque tubasque.  
149 Stulta superstitio tacuit, vox festa quievit,  
150 quae male conspicuae celebrabat imaginis aurum.  
151 Carmina sanctorum resonant jam sola virorum  
152 triplice concentu Regem laudantia caeli,  
153 qui mare, qui terras, qui lucida sidera fecit,  
154 ignibus et mediis securos texit alumnos.  
155 Semper in auxilium Sermo Patris omnipotentis  
156 descendit servando homini, mortalia semper  
157 admiscenda sibi proprio curavit amore,  
158 ut socianda caro dominoque inplenda perenni,  
159 degenerem vitam quae tunc animalis agebat,  
160 [exemplo mutaret eri similesque per artus]  
161 cernere consortem terreni adsuesceret oris,  
162 participemque suum visu velut obside nosse,  
163 et consanguineo paulatim accedere Christo.  
164 Ergo animalis homo quondam ; nunc Spiritus illum  
165 transtulit ad superi naturam seminis, ipsum  
166 infundendo Deum mortalia vivificantem.  
167 Nunc nova materies, solidata intercute flatu,  
168 materies sed nostra tamen de virgine tracta,  
169 exuit antiquae corrupta exordia vitae,  
170 irnmortale bonum proprio spiramine sumens.  
171 Filius ille hominis, sed filius ille Tonantis,  
172 jam solus vultum Patris aspicit et videt ipsum.  
173 Nemo Patrem novit, nisi Filius et cui monstrat  
174 Filius, et nostri mediator et Omnipotentis.  
175 Denique, concludam brevis ut compendia summae,  
176 non Pater in carnem descendit, sed Patris arcem  
177 sumpta caro ascendit, Natus per utrumque cucurrit.  
178 Cede, profanator Christi, jam cede, Sabelli  
179 depositorque Patris Natique insane negator !  
180 Nonne Patrem violas, dum Natum scire recusas,  
181 quandoquidem non est genitor, nisi filius extet,  
182 nec vocitare patrem potis es, quem germine fraudas ?  
183 Sed fortasse velis patriae pietatis honore  
184 despoliare Deum, contentus nomine nudo  
185 qucd Deus est, adimasque decus patris et generis vim.  
186 Ecquis in idolio recubans inter sacra mille  
187 ridiculosque deos venerans sale, caespitem, ture,  
188 non putat esse Deum summum et super omnia solum ?  
189 Quamvis Saturnis, Junonibus et Cythereis  
190 portentisque aliis fumantes consecret aras,  
191 at tamen in caelum quotiens suspexit, in uno  
192 constituit jus omne Deo, cui serviat ingens  
193 virtutum ratio variis instructa ministris.  
194 Quae gens tam stolidam est animis, tam barbara linguis,  
195 quaeve superstitio tam sordida, quae caniformem  
196 latrantemque throno caeli praeponat Anubem ?  
197 Nemo Cloacinae aut Eponae super astra deabus  
198 dat solium, quamvis olidam persolvat acerram  
199 sacrilegisque molam manibus, rimetur et exta.  
200 Consule barbati deliramenta Platonis,  
201 consule et hircosus cynicus quos somniat, et quos  
202 texit Aristoteles torta vertigine nervos.  
203 Hos omnes quamvis anceps labyrinthus et error

204 circumflexus agat, quamvis promittere et ipsi  
 205 gallinam soleant aut gallum, clinicus ut se  
 206 dignetur praestare deus morientibus aequum,  
 207 cum ventum tamen ad normam rationis et artis,  
 208 turbidulos sensus et litigiosa fragosis  
 209 argumenta modis concludunt numen in unum,  
 210 cujus ad arbitrium sphaera mobilis atque rotunda  
 211 volvatur, servantque suos vaga sidera cursus.  
 212 Non recipit natura hominis, modo quadrupes ille  
 213 non sit et erecto spectet caelestia vultu,  
 214 non recipit neget ut regimen pollere supremum.  
 215 Istud et ipse Numae tacitus sibi sensit haruspex,  
 216 semifer et Scottus sentit cane milite pejor.  
 217 Sed nos, qui Dominum libris et corpore jam bis  
 218 vidimus, ante Fide, mox carne et sanguine coram,  
 219 quique, voluminibus vatum cruce teste probatis,  
 220 rimantes digitos costarum in vulnere cruda  
 221 mersimus, et manuum visu dubitante lacunas  
 222 scrutati aeternum regem cognovimus Iesum,  
 223 abjurare Deo titulum nomenque paternum  
 224 credimus esse nefas, qui regem protulit ex se,  
 225 non regem populi Parthorum aut Romulidarum,  
 226 sed Regem summae et mediae rationis et imae,  
 227 atque ideo rerum dominum et super omnia regem.  
 228 Carnis habet medium, summum Patris et Stygis imum ;  
 229 defluit his gradibus rursusque revolvitur in se ;  
 230 est Deus, est et homo, fit mortuus et Deus idem est.  
 231 Omnis percurrit naturae munia pronae,  
 232 ut sursum Patris in gremium replicata reportet  
 233 mortua quae fuerant, ipsos quoque subvehat artus.  
 234 Haec fore cum veterum cecinissent organa vatum,  
 235 nos oculis, manibus, congressu, voce, loquella  
 236 experti heroum tandem intelleximus orsa  
 237 priscorum, et viso patefacta oracula Christo.  
 238 Haec est nostra salus, hinc vivimus, hinc animamur,  
 239 hoc sequimur : numquam detracto nomine Nati  
 240 appellare Patrem, Patris et sine nomine numquam  
 241 Natum nosse Deum, numquam, nisi Sanctus et unus  
 242 Spiritus intersit, Natumque Patremque vocare ;  
 243 sic tamen haec constare tria, ut ne separe ductu  
 244 tres faciam, tribus his subsistat sed Deus unus.  
 245 Nec Pater ipse autem qui Filius, ut quia natum  
 246 scimus ab innato, vere pater et sata vere  
 247 sit suboles, nec sit genitor sibi Filius ipse.  
 248 Perquam ridiculum est et futile, natus ut ex se  
 249 sive supernatus fuerit, sibi ipse repente  
 250 nascendi nova materies, ac se Deus ultro  
 251 ediderit, natumque sibi se fecerit ipsum.  
 252 Nil falsum aut mendax divina vocabula fingunt.  
 253 Qui Pater est, gignendo pater ; tum Filius ex hoc  
 254 filius, auctore genitus quod sit Patre summo,  
 255 summus et ipse tamen ; nec enim rminor aut Patre dispar.  
 256 Unde in utroque operis forma indiscreta, nisi omnem  
 257 vim majestatis patriae generosus haberet  
 258 Filius, idque Deus genitor, quod Filius, esset ?  
 259 Pergunt ulterius, scrutantes quid sit id ipsum  
 260 gignere, si fas est humanos tendere sensus  
 261 usque ad secretum, quod tempora cuncta diesque

262 praevenit antiquos, et principium super ipsum  
 263 eminent, et, quodcumque potest homo quaerere, transit.  
 264 Cum sit difficilis vis noscere principiorum  
 265 semina, qui dabitur mortali exquirere quidnam  
 266 ultra principium Deus egerit, aut quo pacto  
 267 ediderit Verbum, quod principio caret omni ?  
 268 Hoc solum scimus, quod traditur esse Deum, quem  
 269 non genitus genitor generaverit unus et unum,  
 270 integer integrum, non coeptum sed tamen ortum,  
 271 et comperpetuum retro Patris et Patre natum.  
 272 Sed nec decisus Pater est, ut pars Patris esset  
 273 Filius, extendens nec se substantia tractim  
 274 produxit minuitque aliquid de numine pleno,  
 275 dum mutata novum procudit portio Natum.  
 276 Non convertibilis nec demutabilis umquam  
 277 est Deus, aut gignendo aliquid sibi detrahit, atqui  
 278 totus et ex toto Deus est, de Lumine Lumen.  
 279 Quando autem lumen sine lumine ? Quando refulgens  
 280 lux fulgore caret ? Quando est ut proditus ignis  
 281 ignem diminuat ? Quando Pater et Deus et Lux  
 282 non Lucis Deus et Pater est ? Qui si pater olim  
 283 non fuit et serum genuit post tempora natum,  
 284 fit novus inque novum jus proficit. Absit ut umquam  
 285 plenus proficiat, qui non eget incremento.  
 286 Et Deus et Genitor Lumenque et Gloria semper  
 287 ille fuit, nec post sibi contulit ut pater esset.  
 288 Sic fit ut aeternum credamus cum Patre Christum,  
 289 illo auctore satum, cui nullus praefuit auctor.  
 290 Haec tu si dubitas nati mysteria Christi,  
 291 perditte, catholica non es de plebe, sed unus  
 292 de grege turifero, venerator Deucalionum,  
 293 devotus cippo, ficulni stipitis unctor.  
 294 Quin potius scrutare Dei signacula in ipso  
 295 fonte vetustatis ; percurrere scrinia primi  
 296 scriptoris, quem non bardus pater aut avus augur,  
 297 fabula nec veteris famae, nec garrula nutrix,  
 298 nec sago clangore loquax et stridula cornix  
 299 rem docuere Dei, sed coram proditus ipse,  
 300 ipse Deus trepidum mortalem mitis amico  
 301 inbuit adloquio seque ac sua summa retexit.  
 302 Nimirum meminit scriptor doctissimus illo  
 303 orbis principio non solum nec sine Christo  
 304 informasse Patrem facturae plasma novellae :  
 305 " Fecit ", ait, " condens hominem Deus et dedit olli  
 306 ora Dei. " Quidnam est aliud quam dicere : " Solus  
 307 non erat, atque Deo Deus adsistebat agenti,  
 308 cum Dominus faceret Domini sub imagine plasma ? "  
 309 Christus forma Patris, nos Christi forma et imago ;  
 310 condimur in faciem Domini bonitate paterna,  
 311 venturo in nostram faciem post saecula Christo.  
 312 Possum multa sacris exempla excerpere libris,  
 313 ni refugis, quae te doceant non in Patre solo  
 314 vim majestatis positam, sed cum Patre Christum  
 315 esse Deum, velut illud ait genealogus idem :  
 316 " A Domino Dominus flammam pluit in Sodomitas."  
 317 Quis Dominus, de quo Domino, si solus ab arce  
 318 siderea spectat Pater aut ardescit in iras ?  
 319 Filius armatam Domini Patris ignibus iram

320 spargebat Dominus ; sunt unum fulmen utraque.  
 321 Haec si Judaicos sic intellecta rigassent  
 322 auditus, stupidas ut possint tangere fibras,  
 323 audissent Dominum virtutum, qui pereuntes  
 324 venerat ut servaret oves ; sed ab auribus omnis  
 325 fluxerat ornatus, caput et jam coctile Bahal  
 326 finxerat auriculasque suo spoliarat honore ;  
 327 dux populi peccantis adest de monte corusci  
 328 luminis adloquioque Dei, tabulasque tremendo  
 329 incisas digito caeca ad tentoria defert.  
 330 Sed cadit in faciem plebs non visura profundae  
 331 legis in effigie scriptum per enigmata Christum.  
 332 Infelix, quae Luce oculos praestricta paventes  
 333 texerit et presso faciem velarit amictu !  
 334 At nos rejecto Christum velamine coram  
 335 cernimus, atque Deum vultu speculamur aperto,  
 336 nec sub lege gravi depressa fronte jacemus,  
 337 sed legis radium sublimi agnoscimus ore.  
 338 Heu, frondosa prius ramis felicibus arbos,  
 339 pinguibus, heu, quondam radix oleagina bacis !  
 340 Ecce tibi inserto revirescit nunc oleastro  
 341 truncus et externi vestitur cortice libri !  
 342 Jam miserere tui. Non se silvestris olivi  
 343 surculus exultans alieno stipite jactat ;  
 344 sed monet ut, generis proprii memor, unguine amaro  
 345 contristare comas desuescas, stirpe nec imo  
 346 invideas missis in celsa cacumina virgis.  
 347 Blasphemias Dominum, gens ingratiissima, Christum.  
 348 Pascha tuum dic, dic, cujus de sanguine festum  
 349 tam sollemne tibi est ? Quis tandem caeditur agnus  
 350 anniculus ? Sacer ille tibi redeuntibus annis,  
 351 sed sacer in pecude. Stultum est sic credere sacrum,  
 352 sanguine balantis summos contingere postes,  
 353 lascivire choris, similaginis azymon esse,  
 354 cum fermentati turgescant crimine mores.  
 355 Non sapis, imprudens, nostrum te effingere pascha,  
 356 legis et antiquae praeductis pingere sulcis  
 357 omne sacramentum, retinet quod passio vera,  
 358 passio, quae nostram defendit sanguine frontem,  
 359 corporeamque domum signato conlinit ore ?  
 360 Hanc fugit exclusis Aegyptia plaga procellis,  
 361 haec regis Pharii regnum ferale resolvit,  
 362 deque potestatis mundanae grandine densa  
 363 eripit Abraham cum stirpe et gente fideli.  
 364 Abrahae genus est verum, cui sanguis in ore  
 365 creditus inscriptusque rubet, cui visus in orbe  
 366 haud dubitante fide Deus est, Deus ex Patre verus.  
 367 Ille Deum vidit, visum mox credidit ; at tu,  
 368 posteritas carnis, carnaliter omnia cernens,  
 369 carnis opus sub lege geris quam spiritus implet  
 370 interior ; nec enim caelo lex carnea fluxit,  
 371 quam tu carne colis, sed Christo feta, meamque  
 372 spem paritura utero ; quam spem, nisi numinis alium  
 373 lumen et adventum Domini, quem viderat Abrae  
 374 prima fides, nostrisque Pater promiserat olim  
 375 perspiciendum oculis et legis voce probandum ?  
 376 Nec solum legis, nam quae jam littera Christum  
 377 non habet, aut quae non scriptorum armaria Christi



378 laude referta novis celebrant miracula libris ?  
 379 Hebraeus pangit stilus, Attica copia pangit,  
 380 pangit et Ausoniae facundia tertia linguae.  
 381 Pilatus jubet ignorans : " I, scriba, tripictis  
 382 digere versiculis quae sit subfixa potestas ;  
 383 fronte crucis titulus sit triplex, triplice lingua  
 384 agnoscat Judaea legens, et Graecia norit,  
 385 et venerata Deum percenseat aurea Roma. "  
 386 Quidquid in aere cavo reboans tuba curva remugit,  
 387 quidquid ab arcano vomit ingens spiritus haustu,  
 388 quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,  
 389 organa disparibus calamis quod consona miscent,  
 390 aemula pastorum quod reddunt vocibus antra,  
 391 Christum concelebrat, Christum sonat, omnia Christum  
 392 muta etiam fidibus sanctis animata loquuntur.  
 393 O nomen praedulce mihi, lux et decus et spes  
 394 praesidiumque meum, requies o certa laborum,  
 395 blandus in ore sapor, flagrans odor, inriguus fons,  
 396 castus amor, pulchra species, sincera voluptas !  
 397 Si gens surda negat sibi tot praeconia de te,  
 398 tam multas rerum voces, elementaque tantae  
 399 nuntia laetitiae stolidas intrare per aures,  
 400 audiat insanum bacchantis energima monstri,  
 401 quod rabidus clamat capta inter viscera daemon,  
 402 et credat miseranda suis. Torquetur Apollo  
 403 nomine percussus Christi, nec fulmina verbi  
 404 ferre potest ; agitant miserum tot verbera linguae  
 405 quot laudata Dei resonant miracula Christi.  
 406 Intonat antistes Domini : " Fuge, callide serpens,  
 407 exue te membris, et spiras solve latentes !  
 408 Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas.  
 409 Desine, Christus adest, humani corporis ultor !  
 410 Non licet ut spoliolum rapias, cui Christus inhaesit.  
 411 Pulsus abi, ventose liquor, Christus jubet, exi ! "  
 412 Has inter voces medias Cyllenius ardens  
 413 hejulat et notos suspirat Juppiter ignes.  
 414 Ecce Gerasenos legio ruit effera porcos,  
 415 et post multiplices busti sub rupe catenas  
 416 poenarum gemitus longis grunnitibus edit.  
 417 Clamarat sed ab ore hominis : " Cognoscimus, Iesu,  
 418 nate Deo, nate sceptris et germine David,  
 419 quid sis, quid venias ; qua nos virtute repellas,  
 420 novimus, adventusque tui terrore jacemus. "  
 421 Haec, Judaea, tuas vox non pervenit ad aures ?  
 422 Pervenit, mentem sed non penetravit egenam  
 423 lucis, et a primis foribus disclusa refugit.  
 424 Audiit adventum Domini, quem solis Hiberi  
 425 vesper habet, roseos et qui novus excipit ortus.  
 426 Laxavit Scythicas verbo penetrante pruinas  
 427 vox evangelica, Hyrcanas quoque fervida brumas  
 428 solvit, ut exutus glacie jam mollior amnis  
 429 Caucasea de cote fluat Rhodopeius Hebrus ;  
 430 mansuevere Getae, feritasque cruenta Geloni  
 431 lacte mero sitiens exsanguia pocula miscet,  
 432 libatura sacros Christi de sanguine potus.  
 433 Novit et Atlantis pridem plaga perfida Mauri  
 434 dedere crinitos ad Christi altaria reges.  
 435 Ex quo mortalem praestrinxit Spiritus alvum,

436 Spiritus ille Deus, Deus et se corpore matris  
437 induit atque hominem de virginitate creavit,  
438 Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra ;  
439 non tripodas cortina regit, non spumat anhelus  
440 fata Sibyllinis fanaticus edita libris ;  
441 perdidit insanos mendax Dodona vapores ;  
442 mortua jam mutae lugent oracula Cumae,  
443 nec responsa refert Libycis in Syrtibus Hammon.  
444 Ipsa suis Christum Capitolia Romula maerent  
445 principibus lucere Deum. Destructaque templa  
446 imperio cecidisse ducum ; jam purpura supplex  
447 sternitur Aeneadae rectoris ad atria Christi,  
448 vexillumque crucis summus dominator adorat.  
449 Principibus tamen e cunctis non defuit unus,  
450 me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,  
451 conditor et legum, celeberrimus ore manuque,  
452 consultor patriae, sed non consultor habendae  
453 relligionis, amans ter centum milia divum.  
454 Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus orbi,  
455 augustum caput ante pedes curvare Minervae,  
456 fictilis et soleas Junonis lambere, plantis  
457 Herculis advolvi, genua incerare Dianae,  
458 quin et Apollineo frontem submittere gypso,  
459 aut Pollucis equum suffire ardentibus extis.  
460 Forte litans Hecaten placabat sanguine multo ;  
461 pontificum festis ferienda securibus illic  
462 agmina vaccarum steterant, vitulasque revincta  
463 fronte coronatas umbrabat torta cupressus ;  
464 jamque insertato reserarat viscera cultro  
465 vittatus de more senex, manibusque cruentis  
466 tractabat trepidas letali frigore fibras  
467 postremosque animae pulsus in corde tepenti  
468 callidus interpret numeris et fine notabat,  
469 cum subito exclamat media inter sacra sacerdos  
470 pallidus : " En, quid ago ? Majus, rex optime, majus  
471 numen nescio quod nostris intervenit aris  
472 quam sufferre queant spumantia cymbia lacte,  
473 caesarum sanguis pecudum, verbena, coronae.  
474 Accitas video longe dispergier umbras ;  
475 territa Persephone vertit vestigia retro  
476 extinctis facibus tracto fugitiva flagello ;  
477 nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt  
478 carmina, turbatos revocat nulla hostia manes.  
479 Nonne vides ut turibulis frigentibus ignis  
480 marceat et canis pigrescat pruna favillis ?  
481 Ecce palatinus pateram retinere minister  
482 non valet, elisa destillant balsama dextra,  
483 flamen et ipse suas miratur vertice laurus  
484 cedere, et incertum frustratur victima ferrum.  
485 Nescio qui certe subrepsit christicolorum  
486 hic juvenum : genus hoc hominum tremit infula et omne  
487 pulvinar divum. Lotus procul absit et unctus !  
488 Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris ! "  
489 Dixit et exsanguis conlabitur ; ac, velut ipsum  
490 cerneret exerto minitantem fulmine Christum,  
491 ipse quoque exanimis, posito diademate, princeps  
492 pallet et adstantes circumspicit, ecquis alumnus  
493 chrismatis inscripto signaret tempora ligno,

494 qui Zoroastreos turbasset fronte susurros.  
495 Armiger e cuneo puerorum flavicomantum,  
496 purpurei custos lateris, deprenditur unus,  
497 nec negat, et gemino gemmata hastilia ferro  
498 proicit ac signum Christi se ferre fatetur.  
499 Prosiluit pavidus dejecto antistite princeps,  
500 marmoreum fugiens nullo comitante sacellum,  
501 dum tremefacta cohors dominique oblita supinas  
502 erigit ad caelum facies atque invocat Iesum.  
503 Jamne piget facti, jam paenitet ? En tibi Christum,  
504 infelix Judaea, Deum, qui sabbata solvens  
505 terrea mortales aeterna in sabbata sumpsit,  
506 gentibus emicuit, praefulsit regibus, orbem  
507 possidet, imperii dominam sibi cedere Romam  
508 compulit et simulacra deum Tarpeia subegit !  
509 Disce tuis, miseranda, malis quo vindice tandem  
510 vana superstitio lex et carnaliter acta  
511 plectatur, cujus virtus te proterat ultrix :  
512 destructone jacent Solomonia saxa metallo  
513 aedificata manu ? Jacet illud nobile templum.  
514 Cur jacet ? Artificis quia dextra solubilis illud  
515 caementum struxit resolubile, jure solutum est  
516 et jacet, in nihilum quoniam redit omne politum.  
517 Quod fieri recipit, recipit quandoque perire,  
518 Si nostrum contra quod sit vis discere templum,  
519 est illud, quod nemo opifex fabrilitate aptans  
520 composuit, quod nulla abies pinusve dolata  
521 texuit, exciso quod numquam marmore crevit,  
522 cujus onus nullis fultum sublime columnis,  
523 fornice curvato tenui super arte pependit,  
524 sed Verbo factum Domini, non voce sonora,  
525 sed Verbo, quod semper erat : Verbum caro factum est.  
526 Hoc templum aeternum est ; hoc finem non habet ; hoc tu  
527 expugnare volens flagris, cruce, felle petisti.  
528 Destructum jacuit poenis vexantibus, esto :  
529 matris enim ex utero, quod destrueretur, habebat.  
530 Sed quod morte brevi materna ex parte solutum est,  
531 majestate Patris vivum lux tertia reddit.  
532 Vidisti angelicis comitatum coetibus alte  
533 ire meum, cujus servor munimine, templum.  
534 Illius aeternae suspendunt culmina portae,  
535 ac per inaccessas scalarum gloria turres  
536 tollitur, et gradibus lucet via candida summis.  
537 At tua congestae tumulant holocausta ruinae.  
538 Quid mereare, Titus docuit, docuere rapinis  
539 Pompeianae acies, quibus extirpata per omnes  
540 terrarum pelagique plagas tua membra feruntur.  
541 Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat  
542 Judaeus, postquam, patria de sede revulsus,  
543 supplicium pro caede luit, Christique negati  
544 sanguine respersus commissa piacula solvit.  
545 En quo priscorum virtus defluxit avorum !  
546 Servit ab antiquis dilapsa fidelibus heres  
547 nobilitas, sed jam non nobilis ; illa recentem  
548 susceptat captiva fidem : vis tanta novellae  
549 credulitatis inest ! Christum confessa triumphat  
550 gens infida prius ; Christi sed victa negatrix  
551 subditur imperio dominos sortita fideles.

552 Sunt qui Judaico cognatum dogma furori  
553 instituunt, media Christum ratione secuti  
554 hoc tantum, quod verus homo est, at caelitus illum  
555 adfirmant non esse Deum ; pietate fatentur,  
556 majestate negant, morum pro laude sacratum  
557 concelebrant, adimunt naturae summa supernae.  
558 Omne opus egregium, per quod sollertia pollens  
559 emicat, ingenii est aut roboris, illud acuto  
560 corde viget, duris excellit viribus istud ;  
561 mortale est sed utrumque homini, nam cana senescunt  
562 ingenia et validos consumunt saecula lacertos.  
563 Haec nos in Domini virtute et laude perenni  
564 non sequimur ; sequimur nullo quod semine terrae  
565 germinat, immundum quod non de labe virili  
566 sumit principium, tener illum seminat ignis,  
567 non caro nec sanguis patrius nec foeda voluptas.  
568 Intactam thalami virtus divina puellam  
569 sincero adflatu per viscera casta maritat.  
570 Incomperta ortus novitas jubet ut Deus esse  
571 credatur Christus sic conditus : innuba virgo  
572 nubet Spiritui, vitium nec sentit amoris ;  
573 pubertas signata manet ; gravis intus, et extra  
574 incolumis ; florens, et fertilitate pudica ;  
575 jam mater, sed virgo tamen, maris inscia mater.  
576 Quid renuis, quid inane caput., Non credule, quassas ?  
577 Angelus hoc sancto fore nuntiat ore ; placetne  
578 credere et angelicis aurem reserare loquellis ?  
579 Ipsa coruscantis monitum sacra virgo ministri  
580 credidit, atque ideo concepit credula Christum.  
581 Credentes nam Christus adit, dubitabile pectus  
582 sub titubante fide refugio contemnit honore.  
583 Virginitas et prompta fides Christum bibit alvo  
584 cordis et intactis condit paritura latebris.  
585 Crede, quod emissus solio Patris angelus inquit.  
586 Vel, si concretus liquidam de sidere vocem  
587 non capit auditus, mulier quid conjugae praegnans  
588 clamet anus, credens et tandem sobrius audi !  
589 Mira fides ! Utero puer interceptus anili  
590 virgineum Dominum materno ex ore salutatur  
591 primus, et infantem non natus nuntiat infans  
592 jam nostrum ; vagire sibi nam pusio nondum  
593 norat et ora Deo reserabat garrula Christo.  
594 Promite secretos fetus, date, pandite librum  
595 evomuit spirante Deo quem sanctus Esaias :  
596 percensere libet calamique revolvere sulcos,  
597 sidereis quos illa notis manus aurea duxit.  
598 Ite hinc, dum rutilos apices submissus adoro,  
599 dum lacrimans veneror dumque oscula dulcia figo ;  
600 gaudia concipiunt lacrimas, dant gaudia fletum.  
601 Advenit promissa dies, quam dixerat iste  
602 adfore versiculus, cum virgo puerpera, teste  
603 haud dubie sponso, pacti cui cura pudoris,  
604 edidit, Emmanuelque meum me cernere fecit.  
605 Estne Deus jam noster ? Homo versatur et adestat  
606 nobiscum nomenque probat versumque vetustis  
607 obscurum saeculis praesenti inluminat ore.  
608 Estne Deus, cujus cunas veneratus Eous  
609 lancibus auratis regalia fercula supplex

610 virginis ad gremium pannis puerilibus offert ?  
 611 Quis tam pinnatus rapidoque simillimus austro  
 612 nuntius Aurorae populos atque ultima Bactra  
 613 attigit, inluxisse diem lactantibus horis  
 614 qua tener innupto penderet ab ubere Christus ?  
 615 " Vidimus hunc ", aiunt, " puerum per sidera ferri  
 616 et super antiquos signorum ardescere tractus. "  
 617 Diriguit trepidans Chaldaeo in vertice pernox  
 618 astrologus cecidisse Anguem, fugisse Leonem,  
 619 contraxisse pedes lateris manco ordine Cancrum,  
 620 cornibus infractis domitum mugire Juvenum,  
 621 Sidus et Hirquinum laceris marcescere villis ;  
 622 labitur hinc pulsus Puer Hydrius, inde Sagittae,  
 623 palantes Geminos fuga separat, improba Virgo  
 624 prodit amatores tacitos in fornice mundi,  
 625 quique alii horrificis pendent in nubibus ignes  
 626 luciferum timere novum ; rota lurida solis  
 627 haeret et excidium sentit jam jamque futurum,  
 628 seque die medio velandum tegmine glauco,  
 629 splendoremque poli periturum nocte diurna,  
 630 orbe repentinis caput obnubente tenebris.  
 631 Hunc ego non cumulem myrraeque et turis et auri  
 632 muneribus ? Scio quem videam, quae dona rependam.  
 633 Hunc ego non venerer, qui caelo visus humique  
 634 inventus rex atque Deus moderatur utrumque  
 635 naturae specimen, tumuloque inferna refringens  
 636 regna resurgentes secum jubet ire sepultos ?  
 637 Caelum habitat, terris intervenit, abdita rumpit  
 638 tartara. Vera fides : Deus est qui totus ubique est.  
 639 Numquid vana viros aut mens aut lingua fefellit ?  
 640 Numquid fortuitis frustrantia dona dederunt  
 641 casibus, aut caeco votum sub honore dicarunt ?  
 642 Quae porro causa aut ratio submittere colla  
 643 ante pedes Mariae puerique crepundia parvi,  
 644 si tantum mortalis erat nec summa potestas  
 645 implebat teneros divinis flatibus artus ?  
 646 Sed jam tolle magos, tus, aurum, myrrea dona,  
 647 quae verum docuere Deum, praesepia, pannos,  
 648 matris adoratum gremium face sideris ardens :  
 649 ipsa Deum virtus factorum et mira loquantur.  
 650 Insanos video subito mitescere ventos  
 651 cum jubeat Christus ; video luctantia magnis  
 652 aequora turbinibus tranquillo marmore tendi  
 653 imperio Christi ; video calcatus eundem  
 654 cum patitur gurgis, tergum solidante liquore ;  
 655 ipse super fluidas plantis nitentibus undas  
 656 ambulat, ac presso firmat vestigia fluctu ;  
 657 increpat ipse notos et flatibus otia mandat.  
 658 Quis jubeat saevis aquilonibus : " Ite, silete,  
 659 carceribus vestris, amploque facessite ponto ! "  
 660 sit nisi caelipotens aquilonum conditor idem ?  
 661 Ninguidus agnoscit Boreas atque imbrifer Eurus  
 662 nimborum dominum tempestatumque potentem,  
 663 excitamque hiemem verrunt ridente sereno.  
 664 Quis pelagi calcarit aquas, quis per vada glauca  
 665 gressibus impressis spatiatum triverit udum  
 666 non submersus iter sola pendulus et pede sicco,  
 667 aequoreae nisi factor aquae, qui spiritus olim

668 ore superfusus patrio volitabat in undis  
669 nondum discretis nec certo litore clausis ?  
670 Sustinuit gressum domini famulus liquor, ac se  
671 mobilitate carens solidos substrinxit ad usus.  
672 Quid diversa Dei memorem facta inclyta Christi,  
673 altius inspecta quae majestate negator  
674 haud dubitans hominem, tute ipse fatebere numen ?  
675 Inlevit caecos oculos, et lumina limo  
676 reddidit, umectam sacro sputamine terram  
677 contrectans digitis : luteum medicamen operata  
678 nox habuit, tenebras obducta uligo removit ;  
679 insuper ostendit quonam caligo lavacro  
680 expurganda foret. Variis Siloa refundit  
681 momentis latices, nec fluctum semper anhelat,  
682 sed vice distincta largos lacus accipit haustus.  
683 Agmina languentum sitiunt spem fontis avari,  
684 membrorum maculas puro ablutura natatu.  
685 Certatim interea roranti pumice raucas  
686 exspectant scatebras et sicco margine pendent ;  
687 hoc limum jubet inpositum de fonte lavari  
688 Christus, et infusa vultum splendescere luce.  
689 Norat enim limo sese informasse figuram  
690 ante tenebrosam, proprii medicamen et oris  
691 adjecisse novo, quem primum finxerat, Adae.  
692 Nam, sine divino Domini perflamine summi,  
693 arida terra fuit, nulli prius apta medellae ;  
694 sed postquam liquidus caelesti Spiritus ore  
695 virgineam respersit humum, medicabilis illa est ;  
696 inde trahit sucum lentoque umore salutem  
697 inlinit infunditque diem baptisate lota.  
698 Caecus adest, oculis jam Christi ex ore relectis,  
699 seque luto et nitidis lucem sumpsisse fluentis  
700 clamat, et auctorem stupefacta per oppida monstrat,  
701 auctorem lucis largitoremque dierum,  
702 non dedignatum medicae purgamen aquai  
703 corpore sub proprio monstrare errantibus aegris.  
704 Milibus ex multis paucissima quaeque retexam ;  
705 summam relegam, totus quae non capit orbis.  
706 Quinque in deserto panes jubet et duo pisces  
707 adponi in pastum populis, qui forte magistrum  
708 non revocante fame stipabant undique saeptum  
709 immemoresque cibi vicos, castella, macellum,  
710 oppida, mercatus et conciliabula et urbes  
711 respuerant, largo contenti dogmate vesci.  
712 Multa virum strato fervent convivia faeno,  
713 centenos simul accubitus iniere sodales,  
714 seque per innumeras infundunt agmina mensas,  
715 pisciculis - jam crede Deum ! - Saturanda duobus  
716 et paucis, crescente cibo per fragmina, crustis.  
717 Ambesis dapibus cumulatim aggesta redundant  
718 fercula ; bis senos micarum molibus implent  
719 post cenam cophinos ; crudus conviva resudat  
720 congeriem ventris, gemit et sub fasce minister.  
721 Quis cumulare potest epulas in grandia parvas ?  
722 Quis, nisi qui, corpus, pastumque et corporis omnem  
723 condens, ex nihilo nulla existente creavit  
724 mundum materia ? Non sicut sculptor ab aeris  
725 rudere decoctam consuescit vivere massam ;

726 sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit.  
727 Nil erat omne quod est ; nil id procedere et esse  
728 atque novum fieri mox et grandescere jussum est.  
729 Parvum de nihilo primum fuit, addita parvo  
730 incrementa modis auxerunt omnia plenis.  
731 Ergo ego, cum videam manibus sic crescere Christi  
732 parva alimenta hominum, possum dubitare per ipsum  
733 exiguas rerum species elementaque mundi  
734 ex nihilo primum modica et mox grandia sensim  
735 crevisse, ex modicis quae consummata videmus ?  
736 Ac, ne post hominum pastus calcata perirent,  
737 neve relicta lupis aut vulpibus exquisve  
738 muribus in praedam nullo custode jacerent,  
739 bis sex adpositi, cumulatim qui bona Christi  
740 servarent gravidis procul ostentata canistris.  
741 Sed quid ego haec titubanti voce retexo,  
742 indignus qui sancta canam ? Procede sepulcro,  
743 Lazare, dic cujus vocem tellure sub ima  
744 audieris, quae vis penetraverit abdita leti,  
745 quod, cum te Christus penitus nigrante profundo  
746 immersum vocat ut redeas, ceu proximus audis  
747 nec remoratus ades ! Quae tam vicina Charybdis  
748 regna tenebrarum tenui distantia fine  
749 conjungit superis ? Ubi Taenara tristia vasto  
750 in praiceps dejecta chao, latebrosus et ille  
751 amnis inexpletis volvens incendia ripis ?  
752 Ante fores tumuli, quas saxa immania duro  
753 obice damnarant scopulis substructa cavatis,  
754 stat Dominus, nomenque ciet frigentis amici :  
755 nec mora, funereus revolutis rupibus horror  
756 evomit exequias gradiente cadavere vivas.  
757 Solvite jam laetae redolentia vincla, sorores !  
758 Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat,  
759 nec de corporeo nidorem sordida tabo  
760 aura refert ; oculos sanie stillante solutos  
761 pristinus in speculum decor excitat, et putrefactas  
762 tincta rubore genas paulatim purpura vestit.  
763 Quis potuit putridis animam suffundere membris ?  
764 Nimirum qui membra dedit, qui fictilis ulvae  
765 perflavit venam madidam, cui tabida glaeba  
766 traxit sanguineos infecto umore colores.  
767 O mors auritis jam mitis legibus ! O mors  
768 surda prius, jam docta sequi quodcumque jubetur,  
769 cui tantum de te licuit ? Convicta fatere  
770 esse Deum, solus qui me tibi praeripit, Iesum.  
771 Abde negatores Christi, nemo invidet, abde !  
772 Utere sorte tua blasphemis nocte tenendis  
773 perpetua ! Plebem justorum capta resolve,  
774 qui norunt hominem atque Deum sic dicere Christum,  
775 ut verus summusque Deus mortalia gestet.  
776 Ipse gerit quod struxit, opus nec ferre pudescit  
777 factor quod peperit. Corpus loquor atque animae vim.  
778 Finxerat hoc digitis, animam sufflaverat ore.  
779 Totum hominem Deus adsumit, quia totus ab ipso est,  
780 et totum redimit quem sumpserat, omne reducens  
781 quidquid homo est, istud tumulis, ast illud abysso.  
782 Occurrit dubitans hic dissertator, et illud  
783 obicit anne fides capit ut substantia flante

784 inspirata Deo cruciatum sentiat, utque  
785 inferni petat ima poli barathroque coquatur.  
786 Crede animam non esse Deum, sed crede creatis  
787 majorem cunctis ; ipsam quoque crede creatam.  
788 Formata est namque ore Dei, quae non erat ante ;  
789 sed formata habitu pulcherrima pictaque rebus  
790 divinis et plena Deo similisque creanti ;  
791 non tamen ipsa Deus, quoniam generatio non est,  
792 sed factura Dei est ; solus de corde Parentis  
793 Filius emicuit ; verus, verus Deus ille.  
794 Conlatum est animae, subito ut, quae non erat, esset.  
795 Ille coaeternus Patris est et semper in ipso ;  
796 nec factus, sed natus, habet quodcumque paternum est.  
797 Haec similis velut umbra Dei est ; sic ipse locutus  
798 factor, utroque hominem meditans de figmine junctim  
799 aedificare sui similem. Sed non habet umbra  
800 quod corpus solidum, cujus imitatio in umbra est ;  
801 atque aliud verum est, aliud simulatio veri.  
802 Est similis, saeculis quod non consumitur ullis,  
803 quod sapiens justique capax reginaque rerum  
804 imperat, ante videt, perpendit, praecavet, infit,  
805 verborum morumque opifex, instructaque mille  
806 artibus, et caelum sensu percurrere docta.  
807 His animam similem sibi Conditor effigiavit,  
808 cetera dissimilem, quippe hanc comprehendere promptum est  
809 quam modus et species determinet ; at Deus ingens  
810 atque superfusus trans omnia nil habet in se  
811 extremum, ut claudi valeat sensuve teneri.  
812 Inconpressa manet Virtus, cui linea deficit  
813 ultima, quam spatium non mensurabile tendit.  
814 Ergo animam factam, magno et factore minorem,  
815 majoremque aliis atque omnibus imperitantem,  
816 corruptela putris nascentem turbida carnis  
817 concipit, ac membris tabentibus interfusam  
818 participat de faece sua ; fit mixta deinde  
819 peccandi natura luto cum simplice flatu.  
820 Sed fortasse animam, Domini quia fluxit ab ore,  
821 compositam factamque neges : velut ipsa Dei pars,  
822 quod dictu scelus est ! Taetras trahat oblita culpas,  
823 et pessum damnata ruens chaos intret opertum.  
824 Sit res illa Dei, non abnuo ; pars tamen illa  
825 haudquaquam dicenda Dei est, quae tempore coepit.  
826 Nec prior aut senior quam primum plasma putanda est ;  
827 tunc etenim factam video, cum cordis amici  
828 intravit germana domum, limique recentis  
829 hospita et ipsa recens fraterna sedit in aula.  
830 Illa quidem flatu Domini est, sed spiritus et vis  
831 non est plena Dei, tanto moderamine missa,  
832 quanto flans voluit flandi servare tenorem.  
833 Est impossibile spectare profunda Sabaoth ;  
834 sed speculum deitatis homo est. In corpore discas  
835 rem non corpoream sollers, interprete Christo,  
836 qui Patrem proprium mortali in corpore monstrat.  
837 Perspice quam varios fundamus ab ore vapores,  
838 spiramus quotiens animae sufflabilis auras :  
839 nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat,  
840 rorantes nebulas udis de faucibus efflans ;  
841 cum libet, in gelidum flabrali frigore ventum



842 spiritus existit tenuis et sibilat aer.  
843 Adde et distinctum quem musica tibia flatum  
844 concipit : aut ille est presso modulamine parcus,  
845 aut tumidum largo sublimat flamine bombum,  
846 aut raucos frangit modulosa, aut lene susurra,  
847 aut exile trahens sonitus producit acutos,  
848 aut murmur tenerum sublidit voce minuta.  
849 Haec cum te videas mortali in corpore posse,  
850 cur non Aeternum potuisse infundere credas  
851 qualem animam voluit ? Praescriptis quam quia condens  
852 efflavit fuditque modis, sit facta necesse est.  
853 Denique multa sapit, sed non sapit omnia nostrae  
854 vis animae, certum sapere ac praenosceri iussa.  
855 Jam cui certus inest modus et cui nosse negatum est  
856 omnia, factura est ; nam condita et aucta probatur.  
857 Collige de simili sitne haec factura ; creavit  
858 nempe manus Domini corpus mortale, lutumque  
859 composuit digitis. Numquid manus articulatum  
860 est digesta Dei ? Numquid vola ? Numquid et ungues ;  
861 claudere flexibiles, patulam seu tendere palmam ?  
862 Ista figura manus nostrae est, quam non habet in se  
863 incircumscribitus Dominus ; sed tradita forma est  
864 humanis quae nota animis daret intellectum :  
865 ut per corpoream speciem plasmata feratur  
866 corporis effigiem. Sic est plasmata vicissim  
867 flatu incorporeo res flabilis, oris et esse  
868 fertur opus, tenuis per quod constructa refulsit  
869 forma animae atque rudi factam se munere sensit.  
870 Si non est factura manus caro nostra, nec oris  
871 est factura anima, flatu et spiramine coepta  
872 inque locum deducta aliquem ; namque omne quod hora  
873 natalis profert, locus accipit ; et locus ullus  
874 quod cohibere potest modicum est nec in omnia fustum ;  
875 et quod tam modicum est ut certa sede locetur,  
876 jam titubare potest ; et quod titubaverit, intra  
877 naturam vitii est ; vitiosum denique tristem  
878 reccidit in poenam. Deus hoc, mihi credite, non est.  
879 Aut, si majestas anima est, ostendite quid sit  
880 quod lapsam Christique inopem nova gratia inundat,  
881 Spiritus et Sanctus baptismate justificatam  
882 nobilitat, famulaeque decus, quod defuit, addit.  
883 Quod quia praestatur meritis meritisque negatur,  
884 absurde fertur Deus aut pars esse Dei, quae  
885 divinum summumque bonum de fonte perenni  
886 nunc bibit obsequio, nunc culpa aut crimine perdit,  
887 et modo supplicium recipit, modo libera calcat.  
888 Miraris peccare animam, quae carne coactam  
889 sortita est habitare domum, cum peccet et ipse  
890 angelus, hospitium qui nescit adire caducum  
891 cratis tabifluae ? Peccat, quia factus et ipse est,  
892 non genitus. Quocumque modo sit factus, id unus  
893 scit factor Dominus ; factum mihi credere sat sit.  
894 Solus labe caret peccati Conditor orbis,  
895 agenitus genitusque Deus, Pater et Patre natus.  
896 Solus et, exceptus tormentum admittere triste,  
897 inviolatus agit, nec quidquam sentit acerbi.  
898 Exsortem dic esse animam crucis atque doloris,  
899 si culpa immunem vacuumque a crimine nosti.

900 Quae peccare valet, valet et succumbere poenae.  
901 Ipsa quidem sincera fuit, dum conditur olim,  
902 quae conlata rudem fecit vivescere limum,  
903 utpote de liquido naturae semine primos  
904 accipiens habitus superoque expressa sereno ;  
905 sed mox, ut gravido jussa est innectier arvo,  
906 suavibus inlecebris nimium blandita refrixit,  
907 deque volutabris pretiosum polluit ignem,  
908 dum transgressa Dei positum fas improba calcat.  
909 Haec prima est natura animae, sic condita simplex  
910 decidit in vitium per sordida foedera carnis ;  
911 exim tincta malo peccamine principis Adae  
912 infecit genus omne hominum quod pullulat inde,  
913 et tenet ingenitas animarum infantia in ortu  
914 primi hominis maculas, nec quisquam nascitur insons.  
915 Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis  
916 transfundi in subolem credatur fons animarum  
917 sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.  
918 Non animas animae pariunt, sed lege latenti  
919 fundit opus natura suum, quo parvula anhelent  
920 vascula vitalisque adsit scintilla coactis.  
921 Quae quamvis infusa novum penetret nova semper  
922 figmentum, vetus illa tamen de crimine avorum  
923 dicitur, inluto quoniam concreta veterno est.  
924 Inde secunda redivit generatio et inde lavatur  
925 naturae inlucies, iterumque renascimur intus  
926 perfusi, ut veterem splendens anima exuat Adam.  
927 Quae quia materiam peccati ex fomite carnis  
928 consociata trahit nec non simul ipsa sodali  
929 est incentivum peccaminis, implicat ambas  
930 vindex poena reas peccantes mente sub una,  
931 peccandique cremat socias cruciatibus aequis.  
932 His crucibus Christus nos liberat incorruptae  
933 matris et innocui gestator corporis unus.  
934 Naturam poenae expositam, sed non vitiorum  
935 naturam expositam contactibus induit Iesus ;  
936 atque ideo poenae nil debuit intemeratus,  
937 fraude carens, omni culparum aspergine liber.  
938 Quid Christi in membris peccati saeva satelles  
939 poena ageret, quid mors hominis sine crimine posset ?  
940 Nimirum cassis conatibus et sine nervis  
941 conciderent steriles peccati fomite nullo.  
942 Mors alitur culpa ; culpam qui non habet, ipso  
943 pastus defectu mortem consumit inanem.  
944 Sic mors in Domini consumpta est corpore Christi ;  
945 sic periit, solitum dum non habet arida pastum.  
946 Suspice quapropter solum inculpabile Numen,  
947 naturam Patris et Christi, et jam desine nostrae  
948 invidiam conflare animae, quod sit Deus, aut quod  
949 portio parva Dei, cum Christo abscidere quidquam  
950 et reseccare Deo partem, vel carpere tantum  
951 Numen non liceat plenum sibi semper et in se.  
952 Est operae pretium nebulosi dogmatis umbram  
953 prodere, quam tenues atomi conpage minuta  
954 instituunt, sed cassa cadit ventoque liquescit  
955 adsimilis, fluxu nec se sustentat inani.  
956 Aerium Manicheus ait sine corpore vero  
957 pervolitasse Deum, mendax fantasma cavamque

958 corporis effigiem, nil contrectabile habentem.  
 959 Ac primum specta, an deceat quidquam simulatum  
 960 adsignare Deo, cujus mera gloria falsi  
 961 nil recipit. Membris hic se fallacibus aptans  
 962 fingeret esse hominem ventosa subdolos arte,  
 963 mentitus totiens cum diceret : " Inveteratis  
 964 do veniam morbis, simul et peccata remitto.  
 965 Filius est hominis, pestem qui pellere carnis  
 966 et scelerum nexus laxare ac solvere possit.  
 967 Surge valens, surge innocuus ; jam tolle grabatum.  
 968 Filius hoc hominis jubeo. " Dignusne videtur  
 969 qui testis sibi sit, seque ac sua carnea norit ?  
 970 Quid, cum discipulos, hominis quid filius esset  
 971 passurus, fido jam praescius ore monebat,  
 972 nonne fatebatur se cum virtute paterna  
 973 esse hominem verum ? Quod si non credo, fefellit.  
 974 Si natura Dei quae sit, Manichee, requiris,  
 975 omne quod est, verum est. Nam si mendosus agit quid,  
 976 nec Deus est : mendum divinus non capit usus.  
 977 Obicis aeterno Domino quod lubricus ad nos  
 978 venerit, adsimulans aliud quam verus habebat.  
 979 Obmutesce, furor, linguam, canis improbe, morde,  
 980 ipse tuam, lacero consumens verba palato !  
 981 Latranti obsistit Mattheus, rabiemque refellit,  
 982 qui notat omne genus carnalis stirpis ad usque  
 983 corporeum Christum, per sex septena virorum  
 984 nomina descendens, et venam sanguinis alti  
 985 ex atavis longo texens per stemmata filo.  
 986 Septimus hebdomadi venit superaddere sextae  
 987 hunc numerum Christus, placidum qui conficit annum  
 988 cuncta remittentem contractibus inlaqueata  
 989 multimodis, hominemque hominis de morte levantem.  
 990 Imperfectus enim limus mortalis erat tunc.  
 991 Vir solus perfectus adest atque integer Iesus,  
 992 cui nihil ex septem septenis defuit, ex quo  
 993 perficeret mortale genus virtute perenni.  
 994 Hic ille est, nobis qui septima sabbata complet,  
 995 ut caro nostra Deo tandem sociata quiescat,  
 996 quam bis terna malis vexabant sabbata noxis.  
 997 Curramus notis gradibus regumque sequamur  
 998 progeniem : Christum invenies de carne parentum  
 999 effluxisse hominum, qui sit de semine David  
 1000 stirpe recensita numerandus sanguinis heres.  
 1001 Quid, cum sanctiloquus revoluto germine Lucas  
 1002 sursum versus agit, seriem scandente nepotis  
 1003 corpore perque atavos cursum relegente vetustos ?  
 1004 Septenos decies conscendit Christus in ortus  
 1005 et duo (nam totidem doctores misit in orbem) ;  
 1006 descensos nascendo gradus redeundo retexit,  
 1007 actus ad usque apicem terreni corporis Adam.  
 1008 Inde parens Deitas recipit sua nostrarque mixtim,  
 1009 fitque Dei summi per Christum filius Adam.  
 1010 Restat ut aeriam fingas ab origine gentem,  
 1011 arios proceres : Levi, Judam, Simeonem,  
 1012 aerium David, magnorum corpora regum  
 1013 aeria, atque ipsam fecundae virginis alvum  
 1014 aere fallaci nebulisque et nube tumentem.  
 1015 Vanescat sanguis perflabilis, ossa liquescant

1016 mollia, nervorum pereat textura volantum,  
1017 omne, quod est gestum, notus auferat inritus, aurae  
1018 dispergant tenues, sit fabula quod sumus omnes !  
1019 Et quid agit Christus, si me non suscipit, aut quem  
1020 liberat infirmum, si dedignatur adire  
1021 carnis onus, manuumque horret monumenta suarum ?  
1022 Indignumne putat luteum consciscere corpus,  
1023 qui non indignum quondam sibi credidit ipsum  
1024 pertrectare lutum, cum vas componeret arvo  
1025 nondum viscereo, sed inertis glutine limi,  
1026 impressoque putres sub pollice duceret artus ?  
1027 Tantus amor terrae, tanta est dilectio nostri !  
1028 Dignatur praepinguis humi comprehendere mollem  
1029 divinis glebam digitis, nec sordida censet  
1030 haerentis massae contagia. Jusserat ut lux  
1031 confieret ; facta est ut jusserat. Omnia jussu  
1032 imperitante novas traxerunt edita formas.  
1033 Solus homo emeruit Domini formabile dextra  
1034 os capere, et fabro Deitatis figmine nasci.  
1035 Quorsum igitur limo tanta indulgentia nostro  
1036 contigit, ut Domini manibus tractatus honora  
1037 arte sacer fieret, tactu jam nobilis ipso ?  
1038 Decrerat quoniam Christum Deus incorrupto  
1039 admiscere solo, sanctis quod fingere vellet  
1040 dignum habuit digitis, et carum condere pignus.  
1041 Destituit natura quidem destructa coactae  
1042 telluris formam, mortique obnoxia cessit ;  
1043 sed natura Dei numquam solvenda caducam  
1044 tellurem nostro vitiatam primitus usu  
1045 esse suam voluit, ne jam vitiabilis esset.  
1046 Christus nostra caro est ; mihi solvitur et mihi surgit ;  
1047 solvor morte mea, Christi virtute resurgo.  
1048 Cum moritur Christus, cum flebiliter tumulatur,  
1049 me video ; e tumulo cum jam remeabilis adstat,  
1050 cerno Deum. Si membrorum phantasma meorum est,  
1051 et phantasma Dei est ; mendax in utroque necesse est  
1052 sit Christus, specie si Christus fallere novit.  
1053 Si non verus homo est, quem mors hominem probat ipsa,  
1054 nec verus Deus est, operis quem gloria prodit  
1055 esse Deum. Vel crede mori, vel adesse refelle,  
1056 et gemina verum Christum ratione negato !  
1057 Nam quid magnificum, si non est mortuus Iesus  
1058 et redit ? Illa Dei virtus memorabilis est, ut  
1059 occisus redeat superis surgatque sepultus.  
1060 Quisque Deum Christum vult dicere, dicat eundem  
1061 esse hominem, ne majestas sua fortia perdat.  
1062 Nosco meum in Christo corpus consurgere : quid me  
1063 desperare jubes ? Veniam quibus ille revenit  
1064 calcata de morte viis (quod credimus, hoc est),  
1065 et totus veniam ; nec enim minor aut alius quam  
1066 nunc sum, restituar : vultus, vigor et color idem  
1067 qui modo vivit, erit ; nec me vel dente vel ungue  
1068 fraudatum revomet patefacti fossa sepulcri.  
1069 Qui jubet ut redeam, non reddet debile quidquam ;  
1070 nam si debilitas redit, instauratio non est.  
1071 Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,  
1072 quod truncavit edax senium populante veterno,  
1073 omne revertenti reparata in membra redibit.

1074       Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulcri  
1075       reddat curtum aliquid, quamvis jam curta vorarit  
1076       corpora ; debilitas tamen et violentia morbi  
1077       virtus mortis erat ; reddet quod particulatim  
1078       sorbuerat quocumque modo, ne mortuus omnis  
1079       non redeat, si quid pleno de corpore desit.  
1080       Pellite corde metum, mea membra, et credite vosmet  
1081       cum Christo reditura Deo ; nam vos gerit ille  
1082       et secum revocat. Morbos ridete minaces,  
1083       inflictos casus contemnite, taetra sepulcra  
1084       despuite ; exurgens quo Christus provocat, ite !